

# QVÆSTIO THEOLOGICA.

*Vtrum pœnitentiæ Sacramentum omnibus in peccatum relapsis ad salutem sit necessarium?*

*Quorum remisferitis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Ioan. 20.*

## *Thesis I.*



*Pœnitentiæ Sacramentum nouæ legis a Deo institutum, ad reconciliationem omnibus relapsis necessarium, secunda post nauis fragium tabula rectè dicitur.*

*Conuenit cum Baptismo quod utrumq; ad ueram peccatorum remissionem, & gratiam obtinendam datum sit. Differunt tamen quod Baptismus cum culpa pœnam omnem abolens non sit iterabilis: Pœnitentia uerò quamuis iterari quoties opus est possit, non prorsus tamen omnem pœnam temporalem semper delet, sed tantum diminuit.*

*Huius Sacramenti ( ut rectè habet Concilium Florentinum ) materia sunt actus peccatoris pœnitentis.*

*Quemadmodum in Iudicio tria sunt maximè requisita, accusatio nempe, testimonia siue confessio Rei, & sententia iudicis: Ita & hoc Sacramentum quum sit Iudiciale tria complectitur, Cordis contritionem, Oris confessionem, & Satisfactionem operis.*

*Virtus tamen & effectus potest nonnunq; inuisibiliter per solam cordis contritionem, & suscipiendi Sacramenti uotum obtineri, quum mysterium hoc non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.*

*Contritio est dolor uoluntarius de peccatis proprijs sigillatim propter Deum offensum susceptus, cum spe remissionis propositum confitendi, & ex Iudicio Sacerdotis satisfaciendi coniunctum habens: sine quo peccatum non remittitur.*

*Hic si imperfectus est ex timore pœnæ, magis quam amore Dei proueniens attritio dicitur.*

*Sacerdotis monentis, docentis, uel increpantis ministerio, potissimum uerò uirtute absolutionis ex attrito ( ut loquuntur Scholastici Doctores ) contritus fieri potest, ut gratiam & sanctificationem consequatur.*

*Perniciosa est doctrina quod cōtritio sit terror conscientie propter apprehensum gehennæ supplicium.*

*Quin & eorum qui eiusmodi terrores partem pœnitentiæ, tanq; immediatam & ultimam dispositionem ut fide accedente iustificemur ( nullo habito respectu Confessionis & satisfactionis ) asserunt.*

*Confessio est humilis, pura, & integra sui accusatio coram Sacerdote Christi uicario facta: quæ in peccatum mortale relapso ad salutem est necessaria.*

*Debet hæc fieri ex Christi instituto sacerdoti tanq; iudici de omnibus & singulis peccatis, quæ memoriæ facta diligenti inquisitione occurrunt, tam publicis quam secretis, etiam si cordis occulta sint, ut per illum Christi loco remittantur.*

*De uenialibus peccatis quantumuis leuibus licet gratiam spiritus sancti & eharitatem potius impediunt quam tollant, ut sigillatim conteri, sic & confiteri sanctissimè patres consulunt, quum ad futuri iudicij discussionem a Domino ista referuntur.*

*Circumstantias omnes aggrauantes exprimere quidem laudabile, at eas quæ nouam peccati speciem constituunt est necesse: & de numero est sentiendum.*

*Error est docere enumerationem omnium peccatorum non esse necessariam uelut impossibilem, sed sufficere se generaliter confiteri peccatorum, uel ea solum proponere in quibus consolatione uel consilio egemus.*

*Error quoq; est dicere q; sola fide per annunciationem Euangelij concepta, detur peccatorum remissio. Peccato remisso plerumq; manere debitum temporalis pœnæ hic uel in futuro seculo persoluendæ ( quam modò satisfactione leuiori commutare, deprecari, atq; auertere possumus ) sacris literis, experientia, simul & patrum sententijs edocemur.*

*Satisfactio nihil aliud est quam solutio uel expiatio pœnæ debitæ pro peccato præterito. Hæc uel quisq; per se uel unus pro alio subire potest. Hæc autem potissimum fit per opera ( quæ uocant ) super erogationis Ieiunium, orationem, & eleemosinam secundum æqualitatem proportionis non quantitatis.*

*Qui in re maximè relucet diuina misericordia, sic tamen ut iustitia non obscuretur.*

*Errant tam qui non ferunt hic electos temporaliter puniri, quam qui humana satisfactione Christo iniuriam fieri, simulq; sanctorum patrum hac de re sententias ad externam tantum disciplinam pertinere contendunt.*

*Forma huius Sacramenti est. Ego te absoluo &c. non tamen preces pro remissione peccatorum, & peccatoris dispositione ad Deum præmitti solitæ omitti debent.*

*Minister est solus Sacerdos secundum Ecclesiæ Catholicæ ritum ordinatus, clauium potestatem atq; in subditos iurisdictionem habens, qui nõ ostensione tantum, sed et operatoria uirtute peccata remittit, ad quorū strictissimū silentiū, quouis etiā impendēte periculo, iure diuino tenetur.*

*Casus reseruare sibi maiores in Ecclesia ad communem fidelium salutem legitime posse ex Euangelio, recta ratione, atq; Ecclesiæ traditione, haud obscure, cognoscimus. Cuius tamen sacerdoti in necessitatis articulo integra est, quemuis ab omnibus etiam reseruatis: Imo & omni excommunicatione absoluendi potestas.*

*Non magis sunt ministri, quia a ciuili Magistratu, siue eius super intendentibus Ecclesiasticis instituuntur quā Dathan & Abiron, uel Ozias: quum præter ciuilem potestatem ab ordinantibus accipere possint nihil.*

*Disputabitur Die Lunæ 20. Martij Præsede Reuerendo P. D. Hermanno Thyreo. Respondente uerò Ioanne Hausino Flandro, Artium liberalium Magistro, & SS. Theologiæ Baccalaureo. In schola Theologorum hora septima.*



